

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Oratio ap  
cum fonte primo

Virtutis pondus oratio non habet  
quam nequaquam perseuerancia continui  
amoris tenet.

Veraciter orare est amaros in  
compunctione gemitus et non composita  
uerba resonare.

Gregorius libro XXXIII. moralium.

Virtutis igitur pondus oratio non habet,  
quam nequaquam perseuerantia continui  
amoris tenet.

Quo contra bene de Anna flente  
perhibetur: *Vultusque eius non sunt  
amplius in diuersa mutati*, quia uidelicet  
mens eius nequaquam post preces inepta  
laetitia lasciuiendo perdidit, quod  
orationis suaे tempore gemituum rigor  
exquisiuit. Nonnullis uero in usum  
negotiationis uertitur labor orationis. De  
quibus in euangelio Veritas dicit:  
*Deuorant domos uiduarum sub obtentu  
prolixae orationis. Hi accipient prolixius  
iudicium.* Quia ergo iniquorum  
petitionibus qui Leuiathan istius corpus  
sunt nullo modo parcitur, cum eorum  
preces opere destruuntur, recte nunc  
dicitur: *Non parcam ei et uerbis  
potentibus ad deprecandum compositis.*  
Quamuis et per hoc quod uerba potentia  
ad deprecandum composita referuntur,  
aperte inanitas orationis ostenditur.  
Veraciter namque orare, est amaros in  
compunctione gemitus, et non composita  
uerba resonare.

Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, 33,  
23 (CCSL 143B, M. Adriaen ed.,  
pp.1711-12, ll.35-51).